



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 3. Papa ad approbandum hoc foefus sollicitatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

aureos daturum, quos, prout oportu-
 tunum pro sustinendo fœdere judicave-
 rit, pro suo arbitrio expendere posset.
 Postea horum pactorum duo exempla
 fuere confecta, quorum unum relinque-
 batur penes Philippum Hispaniæ Re-
 gem, qui illud asservet, ut Mercordius,
 & Nivernius Duces tunc absentes proxi-
 mo Martio istud ratum habere, sui que
 assensus documentum propria manu sub-
 scriptum, & sigillo firmatum tradere
 possent, alterum vero penes Cardina-
 lem Borbonium, ceterosque memora-
 tos Principes remaneat.

§. III.

*Papa ad approbandum hoc fœdus
 sollicitatus.*

Hujus fœderis pacta haud diu secre-
 ta tenebantur: interea vero Bel-
 gicorum Ordinum Deputati, ut Fran-
 ciæ Rex harum Provinciarum imperium
 in se susciperet, rogatum advenerant,
 quos dum Henricus ad alloquium ad-
 misit, Bernardinus Mendoza in eodem
 hoc colloquio Hispaniæ Regis, qui pa-
 riter hosce Principatus ambiebat, par-
 tes strenue tuebatur, cum autem Rex
 responderet, quod ejus rationes sibi mi-
 nus probarentur, Mendoza secessit, ac
 quantocius datis literis Guisium Ducem
 sollicitavit, ut promissorum fidem ex-
 solve-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1585.

*Davit. hist.
 des Guerr.
 civil. de
 France l. 7.*

Sæcul. XVI
A.C 1585

solveret, & avitam Majorum Religionem fortiter defendendam susciperet. Guisius, qui jam aliunde satis propensum fovebat animum, hoc stimulo incitatus ultimam operi manum illico admovisset, si foederis pacta etiam summi Pontificis auctoritate fuissent firmata; interim huic rei jamjam Romæ infudatum, quamvis vero Pater Matthei Jesuita descriptos ad Papam deferret hujus foederis articulos, imo ipse etiam Pelleveus Cardinalis Hispanorum Cardinalium auctoritate fretus diploma, quo hæc Societas confirmaretur, obtinere totis viribus adlaboraret, nihilominus Gregorius Papa rem perficere cunctabatur; forte enim foederatorum consiliis eam finis puritatem, quam hi obtendebant, deesse præsentiebat, quinimo in hac suspicione, quæ aliunde haud temeraria erat, magis adhuc firmabatur ab illis Cardinalibus, quibuscum conferebat Pontifex: quapropter se satis, superque fecisse existimabat, si foederatis spem faceret, se eorum pacta approbaturum, interea vero illos hortabatur, ut sedulo Religionis conservationi, & hæresum extirpationi invigilarent.

§. IV.